



**R.P. Leonardii Lessii E Societate Iesu Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censvris.
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 6. Vtrum plures possunt simul vnum baptizare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ARTICVLVS V.

*Vtrum non baptizatus posse
baptizare?*

Respondet Primò, In extrema necessitate etiam infidelem posse baptizare. Definitū est à Nicolao Primo in Epistola ad consulta Bulgarorum cap. 104. & in Concil. Lateranensi magno, Capitulo Firmiter. & in Florentino. Secundò, Si absque necessitate hoc fieret, vterque, tam baptizans, quam baptizatus grauiter peccaret.

Potes; Quale peccatum est, si femina, vel laicus extra calum necessitatis baptizet?

Respondeo, Communis sententia est esse peccatum mortiferum. Primò; Quia est contra preceptum Ecclesiae in re graui. Secundò, quia est alieni muneris usuratio; baptizare enim est proprium munus Sacerdotum. Tertiò, Quia si Sacerdos sine necessitate prætermitteret Baptismi solemnitatē, mortiferè peccaret. Similiter si alienum subditum sine debita licentia; vi patet 16. q. 1. Canone Interdicimus. iuncta glossa. Pari modo si in domo priuata absque necessitate baptizet Sacerdos, mortiferè peccat; nisi sit Filius Regis vel Principis, vt colligitor ex Clementina Unica de Baptismo: ergo potiori iure dicendum est grauiter peccare laicum, qui sibi non subditum in domo priuata, & sine necessitate baptizat: nam est contra ius diuinum. Vnde monendae sunt obstetrics, ne sine magna necessitate infantes baptizent. Ignorantia tamen inculpata potest eas excusare à peccato, vt hīc Caietanus docet: sicut & Iudæum, qui seipsum baptizauit: de quo habetur in Capitulo Debitum. de Baptismo, & eius effectu.

Laicus vel
Femina
baptizans
extra ne-
cessitatem
peccat mor-
saliter.

In priuata
dono quā-
do liceat
baptizare.

esse; nam duo illi conficiunt & conferunt vnum Sacramentum partiale.

Sed Contra: Baptizo, Primò & immediatè significat Abluo, & secundariò significat Baptismi Sacramentum impendo, scilicet mediante ablutione: vnde semper significatur, quod ille abluit, qui Sacramentum impedit. Confirmatur; quia forma illa non potest conuenienter materiam determinare, ciusque arctare significationem, nisi ab eodem ministro procedat: debent enim procedere ex eadem intentione, cum ab intentione deficiuntur ad significandum & efficiendum: vnde etiam nunquam aliter vsum est in Ecclesia factum.

Sed instat Caietanus; Si alter vtatur forma Græcorū, Baptizetur seruus Christi, altero abluciente, nullum committetur mendacium: ergo sic falso tem constabit Baptismus.

Respondet Negando Antecedens; Quia forma Græcorum intelligenda est iuxta formam Latinorum, hoc sensu: Baptizetur seruus Christi à Christo per mequod etiam perpetuus Ecclesiæ vñus confirmat, in qua nunquam nisi ab vno ministro datus est Baptismus. Deinde, eti possint illa verba ab altero sic deprecatoriè dici; non tamen practicè; quo tamen modo debent accipi. Qui enim nō abluit, non potest dicere Baptizetur, intendendo per suam actionem abluer, quia tunc significaret se abluer. Hinc patet, multo minus perfici Sacramentum, si forma diuidatur, & alter dicat, Ego te baptizo; alter, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: quia tunc inuocatio Trinitatis non determinabit verbum Baptizandi, nec elevarit ad significacionem Sacramentalem.

De altero modo: Si duo ministri vnum hominem abluant, vtroque integrum formam proferebant, legitimus erit Baptismus. Est certum. Vbi tamen aduerte, eum qui prior absolut, baptizatur; qui posterior, nihil effecturum, quia tunc simili in capax. Quod si eodem momento ab soluant, vterque vere baptizabit, & effectus Baptismi erit integrè à singulis.

Dices; Vnus effectus non potest esse à duabus causis integris eiudem rationis. Respondent quidam non esse duo Sacraenta Baptismi, sed vnum tantum, quod etiam insinuat D. Thomas.

Sed contrà; Quia hīc sunt due forme, duæ ablutiones, duo ministri, & duæ intentiones, vt duo Sacraenta. Neque D. Thomas contrarium sentit, sed solù vult non esse duo effectu & subiecto supposito. Vnde dicendum est, vnum effectum posse esse à duabus causis integris, presertim quādo illæ sunt cause morales. Imò in moralibus id fieri potest. Idem accidit in cōsecratione, quando recens ordinati ex cōluctudine Ecclesiae pronuntiant formam consecrationis simul cum Episcopo: tunc enim, si eodem momento finiant, illa transubstantiatione integrè est à pluribus causis.

DVBIVM I.

*Vtrum si verus Baptismus, si duo si simul ba-
ptizent: Ego te baptizo, si aliust
non baptizat?*

Respondeo; Si sic intelligant, Ego te baptizo, si aliust, quantum in se est, te non baptizat; sic non est Baptismus, quia se mutuo destruunt. Si autem sensus

Non posse
duos, vt
ministros
partiales
vnum ba-
ptizare,
contra Ca-
ietanum,
verius vi-
deatur.

Notandum est; Hunc Articulum dupliciter posse intelligi. Primò, Vtrum duo possint simul tanquam ministri partiales vnum baptizare. Secundò, Vtrum tanquam ministri integri & per se sufficientes?

De priore sensu: Caietanus hīc, & Marsilius qu. 4. ar. 8. putant Baptismum esse legitimum, si alter infantem abluit, & alter verba proferat, modò hæc moraliter simul fiat. Sed longè verius est talem baptismum non valere. Insinuat D. Thom. hoc loco: estque communior sententia Doctorum. Ratio est; Quia supposita institutione Christi, prout nunc est, quacunque forma vtentur, committent mendacium. Si enim is qui formam profert, dicat, Ego te baptizo, mentitur; quia ipse non abluit infantem, sed alter. Si dicat, Nos te Baptizamus, similiter mentitur; quia significat etiam se abluer infantem, cum alter solus abluit.

Respondeo; Caietanus non committit mendacium in forma: Quia baptizo hīc significat nō abluo aqua, sed Sacramentum Baptismi impendo: sensum enim esse, Nos te baptizamus, id est, Nos tibi Sacramentum Baptismi impendamus: hoc autem verum

sensus sit, Ego te baptizo, si alius suo baptismo me non præuenit; sic is baptizat qui alium præuenit, absoluens formam, & applicans materiam ante alterum.

D V B I V M II.

An sit legitimus baptismus, si uterque utatur
hac forma: Nos te baptizamus?

10
Responsio
est cum di-
finitione,

R Espondeo, Si Nos accipiatur pro singulari, auctoritatis causâ, erit legitimus baptismus. Si autem accipiatur pro duobus, vt sit id, Ego & Paulus; sic rursus duplicitate potest intelligi. Primo, diuisim: & sic efficitur verum Sacramentum ab illo, qui formam prior complet; alter autem nihil efficit. Ratio est, Quia h̄c est sufficiens intentio, & forma necessaria, scilicet Ego te baptizo &c. Quod autem implicitè addatur etiam Paulum te baptizare, non vitiat formam; quia nō comprehenditur tanquam necessarium ad substantiam baptismi. Atqui communis sententia est, quando Minister aliquid extraneum addit formam, non tamē ut necessariū, id non vitiare formam: vt si dicas, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. & Beatae Virginis.

In Sacra-
mentis (ex-
cepto Matri-
moniū &
Poenitentia-
tis) non
est nisi
vnum Mi-
nister.

Secundo, Potest illud Nos accipi cōiunctū, vt significet utrumque partialiter baptizare, & eum dependēt alius ab altero: sicut cū dicimus, Nos trahimus nauem, quam neuter tamen seorsum trahere potest: sic neuter conficit Sacramentum. Ratio est, Quia, vt recte D. Thomas, neuter seorsim dicere potest, Ego te baptizo: sicut neuter trahentium nauem seorsim dicere potest, Ego italo nauem. Ad rationem autē Sacramentorū, excepto Matrimonio & Poenitentia, vnum tantum requiriatur minister. Ratio est, institutio Christi, qui cū vnum sit, conuenienter Ministrum suum, qui in Sacramentis administrādis illius vicem gerit, vnum esse voluit, & conferre Sacramentum vt Ministrū integrum, à nemine quām à se necessariam dependentiam habentem, iuxta illud: Vnum Dominus, una fides, vnum baptisma, ad Ephes. 4. Et hoc est quod voluit D. Thomas hoc loco.

ARTICVLVS VII.

Vtrūm requiratur aliquis, qui Ba-
ptizatum de fonte leuet?

ARTICVLVS VIII.

Vtrūm teneatur is ad eius
instructionem?

11
Cur suscep-
tor adhibe-
atur.

R Espondet Affirmatiū. Notandum est Pri-
mo, Hanc ceremoniam adhibendi Suscep-
tores, esse sanctam iam inde ab Apostolis, testatur
Dionyſius de Eccles. Hierar. c. 2. par. 2. qui Sus-
ceptor per hoc, quod infantem re ipsa contingit,
& excipit, significat se illum in suam curam sus-
cipere. Ratio huius est. Primo, Nam sicut is, qui
corporaliter in lucem editus est, egreditur &
pædagogo, vt fouetur & instruatur: ita qui per
baptismū spiritualiter regeneratus est, egredit aliquo
spirituali nutritio & pædagogo, cuius ope in vita
spirituali fouetur & crescat. Secundo, Ut apud
Ecclesiā sit testis suscepti baptismatis. Tertio,
Ut loco paruuli respondeat, & spondeat eum pre-

stitutum, quæ ipsem sponsus esset, si per exta-
tem posset; videlicet Sponsor & Fideiussor vocatur à
Tertulliano lib. de Baptismo.

Hinc pater, quod sit munus Susceptoris, tene-
tur enim non solum ex charitate, sed etiā ex offi-
cio, baptizatum instruere in ijs quæ ad fidem &
mores pertinent, si opus habeat. Quod etiā pater
ex Cap. Vos autem. de Consecrat. dist. 4. Vnde si
aduerteret illum à parentibus vel tutoribus non
instrui, tenetur ipse hoc supplicare. Postquam vero
baptizatus semel instructus fuerit, cessat obligatio
Susceptoris; quia nō amplius censetur esse in statu
pueritatis spiritualis, in quo opus habeat pædagogo.
Et iuxta hanc moderationem intellige quæ di-
cuntur in Capitulo Vos autem.

Notandum Secundō, Quibusdam esse interdi-
ctum ab Ecclesia munere Susceptoris.

Primo, Infidelibus: Patet Can. In Baptismate, Arcenatus
de Consecrat. d. 4. Si tamen attentarent, non con-
traherent cognitionem spiritualem. Sicut enim, munere
qui non est natus carne, non potest esse cognatus
Suscipiente, cognitionem contraherent. Illis ta-
men Religiosis, qui Monachii non censentur, non
potest esse cognatus spiritualis.

Secundō, Monachis & Abbatibus est prohibi-
tum. Patet hoc Can. Non licet. 1. de Consecrat.
dist. 4. & Can. Placuit 2. qu. 1. & alibi. Ratio est,
Quia debent vacare silentio & orationi. Si tamen
suscipiente, cognitionem contraherent. Illis ta-
men Religiosis, qui Monachii non censentur, non
est prohibitum; vt Mendicantibus: nam nomen
Monachi in materia oculis stricte accipitur.

Tertiō, Parentibus prohibetur, ne suam problem
suscipient: Can. Dictum est 30. q. 1. Aduerte tamen,
Si legitimū Matrimonio iuncti sint, non nasci im-
pedimentum redditionis debiti: imo valde pro-
babile est, nec etiam petitionis, quamvis ex mali-
itia id fecissent, vt colligitur ex Cap. Si vir vel mu-
lier. de Cognitione spirituali, & Cap. De Deo 3.
qu. 1. Etsi plerique Doctores contrariū sentiant.
Exempli gratia, Si pater suscepisset, vel baptiza-
set suum filium, eniam extra casum necessitatis,
non solum vxori pertinēti debitum potest reddere,
sed etiam petere. Ita Cardinalis in dictum Cap.
Si vir vel mulier, & multi alij Doctores antiquo-
res. Vnde per hac Capitula derogatum est iuri
antiquo, scilicet Canoni Perennit, & Can. Predi-
ctum 30. qu. 1. vbi iubentur separari, etiamsi per
ignorantiam factum esset. Aduerte tamen, Inter
non coniuctos Matrimonio, legitimo nasci im-
pedimentum dirimēns usque ad secundum gra-
dum inclusiū; vt pater ex Concilio Trident. ad-
dita explicatione Pij V. de qua suo loco.

Quartō prohibetur, ne plures siue vir sint
mulier, aut ad summum vnum & vna baptizatum
suscipient. Ita Concilium Trident. sess. 24. cap. 2.
Ratio est, Quia discipline & institutionis ordo
multitudine præceptorū perturbari solet; & quia
non expedit cognitionem spiritualem inter tam
multos contrahere. Hinc sit, vt duo viri non possint
simul suscipere eundem, nec duæ feminæ. Quod
si plures suscipiant, vel tangent, quam duo, id est,
vnum & vna, & simul concurrant, nec Parochus
alios peculiariter designauerit, probabile est
quod nullus ex illis contrahet cognitionem spi-
ritualē: id enim videtur posse colligi ex verbis
Concilij. De quo plura infra.

Ecc

QVÆ.